

ADAM (Melchior)

PARODIAE ET METAPHRASES HORATIANAE (810 vers)

Ce texte a été établi à partir de l'édition de 1616, chez Unckel à Francfort.

MELIORIS ADAMI SILESII PARODIAE ET METAPHRASES HORATIANAE,
CONTINENTES ARGUMENTA SACRA ET SCHOLASTICA ;
ADEOQUE POETICA PROGYMNASMATA.

I

PARODIAE

AD SIMONEM GRUNAEUM THEOL. DEO, MUSISQUE CARUM.
PARODIA EX LIB. 1, CARM. 4. ODE.

P_1 v.1 Anni circlus abit fixa vice Solis et meatus
2 canuntque Jani festa plebs Kalendas.
3 Ac neque Mors hominum letat genus, aut Avernus ignis ;
4 nec corda gelido dirigent tremore.
5 Jam late Eusebie fundit jubar, emicante caelo ;
6 junctique turbis caelitem beati.
7 Suavia jam celebrant commercia ; dum polum renatis
8 servator orbis pandit universis :
9 nunc decet et Christo gratum melos intonare chordis,
10 et ore, flamen quod replevit almum.
11 Nunc et ad exemplum veterum decet expedire vota ;
12 seu dona mittas, sive metra solum.
13 Christi natalis ducit Styge perditam catervam,
14 gentesque caecas, o Grunae docte.
15 Gratia caelestis spem nos facit inchoare longam ;
16 systema jam nos caelicum tenebit ;
17 Tempeque aeterni Paradisi, quo simul<...> migrans ; (vers lacuneux)
18 non dente sortis iciere nigrae ;
19 nec Fati insidiis terreberere ; quas tremunt profani
20 mortalium quandoque sancti et ipsi.

AD CASPAREM CONRADUM PHILOS. POET. ET MEDICUM :
PARODIA EX LIB. 1.CARM.6. ODE.

P_2 v.1 Quaeratur stolidis nummus, et aureae
2 Gazae, Judaici more Cupidinis,
3 quam vim cumque rei feta metallicae
4 Tellus viscere continet.
5 Nos, Conrade, nihil quaerere, nec leves
6 argenti philyras, protegere inscii,
7 nec baccas Pharium per mare concheas,
8 Non saxo egregias domos
9 curamus, superi terrea. Nam Deus
10 Affectusque animus rite potens, vetat ;
11 donum concilii caelitis, et decus,
12 Cura prodigere aerea.
13 Quis Ditem laqueis saevum Acheronticis
14 Non vitaverit ? Aut artificii dolo
15 partas divitias ? Aut odio Dei
16 idoli scelus aemulum.
17 Nos gurgustia, nos parcam alimoniam,
18 tegmenta et fragili comoda corpori
19 Aequi consulimus, sive quid additur
20 nil ultra modicum indigis.

IN ADVENTUM CHRISTI.
PARODIA EX LIB. 1. CARM. 9. ODE.

P_3 v.1 Audis, ut aethra gestiat egredi
2 Gnatus Jehovahae ! Ut te sibi praeferat !
3 Propterque te non exprimenda
4 gaudia respuerit polorum !
5 Pande eia pectus, mente pia hospitem
6 tantum receptans : atque lubentius
7 tuo Redemptori, redempte
8 Christiade, officium omne praesta.
9 Relinque mundo evanida : quae simul
10 cepere mentes deliciis malis
11 inebriatas, nec Jehovaham,
12 nec superum meditantur axem.
13 Tu sed Jehovaham ne fuge quaerere, et
14 quod vox bonorum cumque infert, fide
15 apprende ; nec divini amorem
16 mitte Patris, neque tu Lytrotae.
17 Donec vocatus possideas fide
18 apprensus : tunc et tristitia et metus
19 morbique grassantes per artus
20 excidio perimentur uno.
21 Tunc et nepotum perditor ad Styga
22 Adamidarum praecipitabitur :
23 hostesque sanctorum tyranni, et
24 haeretici male litterati.

AD GREGORIUM MARTINIUM PHIL. POET. ET MED.
PARODIA EX LIB. 1. CARM. 10. ODE.

P_4 v.1 Gregori dilecte, comes Thaliae,
2 qui sacras dotes Clariae catervae
3 mente quaesisti catus, et sagacis
4 more latrantis :
5 te canam doctae Sophiae et Minervae
6 adseclam, mentisque piaae tenacem ;
7 fervidum, quicquid libuit, cerebri
8 condere cellis.
9 Te, caballini quia combibisti
10 largiter fontis latices, frequenti
11 artium potu saturum, brabeo
12 donat Apollo.
13 Quin et affulgente tibi Minerva,
14 matris emensus Physeos vireta
15 impigro Coi studio, et Galeni
16 surgis in ausus.
17 Tu salutari positos reduces
18 pharmaco, diras adimesque leto
19 artifex vires, hominum supremis,
20 gratus et imis.

AD IOANNEM TYRSIUM SPONSUM, CUM ROSINA STENIA.
PARODIA EX LIB. 1. CARM. 14. ODE.

P_5 v.1 Mi tyrsi, repetis jura, iterum, tori
2 sponsus ? Nae bene agis ! Faustiter appara
3 taedas : quippe tenes, ut
4 codex caelitus editus,
5 utque exempla pii plurima saeculi
6 isthaec jura probent ; ut sine compare
7 nulli ferre penates
8 possint sollicitudinum
9 molem. Jam tibi sunt pignora suavia,
10 est res, quae sociam, poscit opem domus :
11 sincere ergo Rosinam,
12 praestantis sobolem viri,
13 ardes, et genus, et cor fidei integrae.
14 Nil fluxis Arabum mens pia laminis
15 fidit. Tu, Deus alme,
16 casto connubio favens,
17 dignate Edenios jungere compares ;
18 o et praesidium, et spes thalami unica ;
19 integrata, volente
20 serves ; te duce, gaudia !

AD LIB. 1. CARM. 19. ODEN. PARODIA TEMPORIS RATIONEM HABENDAM.

P_6 v.1 Velox circuitus poli
 2 descriptaeque jubent lucis, Homo, vices ;
 3 et rerum cita flexio ;
 4 momentum omne animo condere temporis.
 5 Urat te, Eusebies, amor,
 6 durantis volucris tempore longius :
 7 urat grata Polymnia,
 8 virtutisque nitor, nescius emori.
 9 In te pallida mors ruens
 10 corpus dejiciet ; nec dabitur dies,
 11 et clarum jubare aureo
 12 solem cernere : nec, quae nihil attinet.
 13 Hic jus atque pium cole : hic
 14 dissuaves Charites, numina mitia,
 15 Pindi cum triplici choro :
 16 sic fati fueris altior omnibus.

AD DANIELEM ARNOLDUM SPONSUM.
EX LIB. 1. CARM. 26. O.

P_7 v.1 Caldae solutus febris anhelitu,
 2 gaudes jugari non male dispari,
 3 Arnolde, vinclo : quae futuro
 4 sit metuenda procella Jano,
 5 quos Mars oberrans appetat, unice
 6 securus. O qui nexibus intimis
 7 vincis amantes, siste pacem,
 8 siste toro egregio salutem,
 9 Jehova praeses. Nil sine te novi
 10 possunt amores : tu duo copulas,
 11 tu copulata augere corda
 12 divite visque potesque dote.

AD I. PHILIPPUM PAREUM DE NOVA PLAUTI EDIT.
PARODICON EX LIB. 1. CARM. 29. ODE.

P_8 v.1 Paree primas nunc Critici occupas
 2 choragi, et agmen Vaticinum praeis ;
 3 non ante depulsis ab umbro
 4 noctibus, illuvieique socci
 5 Indis nitorem. Quis tibi gloriae
 6 currus per orbem nomina differet ?
 7 Pectus quod e Pindo sagaci
 8 non referet capiti usque grates
 9 flagrans Poetam volvere comicum
 10 mente evoluta ? Quis neget arduos
 11 Plauti adsequi jam posse sensus,
 12 Teutoniae et Latium reverti ?
 13 Quando coactis undique apographis,
 14 gazamque Belgae, et lampada Gallicam

15 inferre perplexis locorum,
16 expediens meliora, quaeris.

IN IDOLOLATRIAM PONTIFICIAM.
PARODIA EX LIB. 2. CARM. 31. ODE.
QUEM CHRISTIANUS POSCET OPEM HISPIDIS

P_9 v.1 Quem Christianus poscet opem hispidis
 2 Rerum in procellis ? Spem veniae unde nam
 3 culpae requiret ? Non Latini
 4 praesulis Indigetum a maniplis ;
 5 non sordidatis ex operum globis ;
 6 signisque mutis ; non popae ab hostiis,
 7 non ossibus, quae vanus erro
 8 venditat agminibus coactis.
 9 Fidant nefandis hisce, quibus placet
 10 Romana Thais, terror et omnium
 11 praesul sacrorum, praesulisque
 12 mancipium, populo monota
 13 invisus omni. Quippe per amplius
 14 ducit cucullum, quam laticem sacrum,
 15 fastu profano : nos Iesu
 16 antilytron, meritumque salvat.
 17 Niti antilytro hoc et merito mihi
 18 o Christe dones : at precor integra
 19 cum mente, tum vitam deinceps
 20 degere criminibus carentem.

AD SIGISMUNDUM A NIBELSCHIB. EQUITEM SILESIUM, DE USUFRUCTU DISPUTANTEM.
PARODICON EX LIB. 1. CARM. 43. ODE.

P_10 v.1 Rarus Camenae cultor, et infrequens
 2 laboriosae grex sapientiae
 3 equestris exstat : tu cupiscis
 4 vela dare, atque iterare cursus,
 5 Sigmunde, avitos. Nam sua, Delius,
 6 cuivis alumno munia dividens,
 7 huc te usque per laetos Themistos
 8 excit agros, lepidumque tractum :
 9 quo casca Virtus, atque Politica ;
 10 quo larque privus, quo Physeos sata
 11 jucunda, quo cultus Jehovae
 12 perfruitur : valet alta mentis
 13 monstrare, et edoctum edit agon Dices
 14 Lycea tangens. Hic apicem sagax
 15 astraera cum clamore amico
 16 efferet ; hic micuisse gaudet.

AD REVER. ET CLARISS. V. QUIRINUM REUTERUM THEOL. D. ZACHARIAE URSINI
 OPERA CONIUNCTIM EDENTEM.
 PARODIA EX LIB. 2. CARM. 1. ODE.

P_11 v.1 Motum ex Fabello praesule turbidum,
 2 bellique causas, et genera, et modos,
 3 schedasque disjectas piasque
 4 Theologiae tabulas, et arma
 5 numquam orthodoxis visa cohortibus,
 6 Ursiniani plenum opus ingeni,
 7 tractas, et educis tenebris
 8 depositos dubiis libellos.
 9 Quantum haec sacrorum cura voluminum
 10 jurabit orbem ! Quam Tibi, diditas
 11 res ordinanti, illustre nomen
 12 Christiadam statuetur oris !
 13 Insigne sanctae praesidium rei,
 14 Quirine, ripae gloria Nicridos :
 15 cui Phoebus aeternos honores
 16 Eusebie tribuit jubente.
 17 Jam nunc deserto flumine pectoris
 18 perfundis aures : jam pia Veritas
 19 et robur armorum, minaces
 20 dissipat haereseon maniplos.
 21 Videre magnum jam videor ducem
 22 imo sepulchri de scrobe redditum,
 23 et cuncta technarum subacta,
 24 ipsam etiam rabiem Socini.
 25 Brenno, et planorum quisquis inanior,
 26 scite revicto, diffugit impotens,
 27 errore, purgatum venenis
 28 emicat haereticis Alethes.
 29 Ursinianis dogmasi fortior,
 30 quis non minister bella sacerrima
 31 testatur, auditumque Gallis
 32 Pantachiae strepitum Chimaerae ?
 33 Qui ludus, aut quae pulpita copiae
 34 ignara cornu ; quod dedit antehac
 35 foras Pareus ? Teutonorum
 36 quae caret ora labore sancto ?
 37 Sed ne invenustis Musa procax modis
 38 curae moreris tempora Phoebicae,
 39 mecum Quirino pro labore,
 40 pro studio hoc age grata grates.

AD CHRISTIANUM KUFERUM PHILOS. TUNC CANDID.
 PARODIA EX LIB. 2. CARM. 2. ODA.

P_12 v.1 Nullus Euterpae nitor est, cerebri
 2 abditae cellis, operate Musis,
 3 Christiane, olim : nisi Apollinarem
 4 vincat agona.
 5 Floret aeternante Philippus aevo,

6 clarus encomi a Clario tributi ;
 7 illum aget plausu metuente frangi
 8 fama Alemannum.
 9 Altius tendas, puteal ferendo
 10 Phoebicum ; quam si Domi-murcio usque
 11 sessites, et te tua arena jactet
 12 alpha Sophorum.
 13 Urget, adspirans supera illa templa,
 14 nec pedem sistit ; nisi summa dulcis
 15 presseris Pindi, et nemorosa tempe,
 16 perfica victrix.
 17 Erutum temet tenebris Vacunae,
 18 dissidens bardis, numero eruditorum
 19 inserit Clio ; Clariamque recte ad-
 20 -dicit Alumno
 21 lauream ; famae decus et virorem
 22 detrahens illis, studiique fructum :
 23 quotquot haud circo hoc juvat experiri
 24 laudis honorem.

AD ANDREAM LANGIUM IC.

PARODIA EX LIB. 2. CARM. 11. ODE. IN DEI PROVIDENTIA ACQUIESCENDUM.

P_13 v.1 Quid flexuosi circuitus poli,
 2 amice Langi, spondeat, ignibus
 3 distinctus astrorum remitte
 4 quaerere : nec trepides in orbem
 5 ferentis anni fausta. Regit deus
 6 hoc universum : sedis et arduae
 7 stellantis, et Titaniae astra,
 8 et variam face Noctilucam.
 9 Non vel capillus vertice defluit
 10 nostro, nec ales se laqueo implicat
 11 casu : quid aeternis minorem
 12 consiliis animum fatigas ?
 13 Cur non in isthac divite sat mali
 14 vita serenas pectus, et omnium
 15 securus, in grates canendas
 16 totus abis Domino, bonoque
 17 praesente gaudes ? Exigit ipsemet
 18 Jehova grates. Quis sed enim exputet
 19 sub corde summatim paterna
 20 aetherii benefacta Patris ?
 21 Quis adsequatur munera caelitus
 22 profecta ? Eburna quin age cum lyra
 23 Davidis adsis, dicque carmen
 24 cordivoris relevate curis.

AD LIB. 3. CARM. 18. ODEN. PARODIA HORTATORIA.

P_14 v.1 Mysta, Lutheri vehemens amator,
 2 in tuos fratres animum benignum

3 serus adsumas : redeasque Christi
 4 aequus alumnis.
 5 Si sumus Christi bene sana membra,
 6 dulce nec deficit fidei charisma,
 7 spiritus donum : coliturque vero
 8 numen honore.
 9 Sumimus cenae Domini sigilla,
 10 cum subit noxae facies patratae :
 11 festus in sacra canit aede Christi
 12 munera coetus.
 13 Non leo saevum furit in leonem,
 14 in tibi agnatam ruis ut catervam :
 15 gaudeas iram pepulisse tandem
 16 trans Garamantas.

AD GENTEM IUDAICAM. EX LIB. 3. CARM. 20. O.

P_15 v.1 Ah viden' quanto abjicias periclo,
 2 gens Abrae, summi monitus Jehovae !
 3 Pro gravi magnas solues brevi post
 4 crimine poenas :
 5 cum per effusas Latii catervas
 6 ibit, insignem referens triumphum,
 7 hostis, excisa tua et urbe et omni
 8 germine gentis.
 9 Interim dum tu sacra jussa temnis
 10 impie ; ille enses acuit tremendos :
 11 certus hanc omnem posuisse forti
 12 sub pede terram
 13 victor, et diris abolere flammis
 14 arduum sancti penetrabile templi :
 15 qualis ille olim Assyriae tyrannus
 16 alter et alter.

IN SYMBOLUM IOANNIS BREITHORII IC. EX ECCLESIASTICI PROTREPTICO :
 IN OMNIBUS SERMONIBUS TUIS MEMENTO ULTIMORUM TUORUM ;
 ET IN AETERNUM NON PECCABIS.
 PARODIA EX LIB. 4. CARM. 3. ODE.

P_16 v.1 Qui te, sera catastrophe,
 2 mortalis memori pectore gesserit ;
 3 illum non honor orbicus
 4 inflabit stolidum ; non Venus ignea
 5 caecis ludet amoribus
 6 lurconem ; neque res Croesica ditibus
 7 donatum pretiis Midam,
 8 quod sortis dubias jam superet vices,
 9 adfiget male sacculis :
 10 sed qui Flatus agit corda fidelium,
 11 et spes delicii astrici ;
 12 Tollent a luteis sedibus ad polum.
 13 Victrix mnemosynon mali
 14 orditur, brevitatis aevi inamabilis,

15 mundi educere me lue ;
 16 et jam tecta modo diligo caelica.
 17 O luctaminis ardui
 18 pausam quae solidam Mors placide facis !
 19 O duris quoque cautibus.
 20 Incussura Erebi, si capiant, metum !
 21 Totum hortaminis hoc tui est,
 22 quod de corde meo jam magis et magis
 23 exsudat scelerum vapor ;
 24 quod sensim morior vano operi, tuum est.

DE FRUCTIBUS RESURRECTIONIS CHRISTI.
EX LIB. 4. CARM. 3. ODE.

P_17 v.1 Cum tu, Christe Deus, semel
 2 victor de tumuli rupe reueneris ;
 3 jam nos haud dolor inferi
 4 terrebit barathri : non tabula utraque
 5 Mosis deferet amplius
 6 peccantes : neque res putrida flebili
 7 consumptos tumulo sitos,
 8 qui vivi capitis membra sumus tuae
 9 claudet perpetuo in scrobe :
 10 sed qui te Deus exciit <LACUNE, ou fantaisie ?>
 11 et vis corporis enthea
 12 sistent iudicii tempore vividos.
 13 Haec spes lethi abigit metum,
 14 suadetque haud trepidis hospitio hoc soli
 15 aeternam patriam ingredi,
 16 et prensare animo nil nisi caelica.
 17 O diro cruciamine
 18 taetrum qui facinus, Christe, hominum expias ;
 19 o caecis quoque gentibus
 20 donature poli, si capiant, decus :
 21 totum muneris hoc tui est,
 22 quod sesim morior mortiferae lui,
 23 flatus vi supera sacri ;
 24 quod mortem haud timeo, nec Satanam, tuum est.

AD SPIRITUM SANCTUM.
PARODIA EX LIB. 4. CARM. 3. ODE.

P_18 v.1 Quem, tu Pneuma Dei, semel
 2 electum supera luce beaveris,
 3 illum non Sathanae furor
 4 caecabit dubium ; nulla Sophistice
 5 falso ludet acumine
 6 deceptum, neque mens obruta noxiis
 7 dirae mancipium Stygis,
 8 quod summi monitus respuerit Patris
 9 dio concilio exiget :
 10 sed quae sola hominem justificat Fides,

11 et caelestis Heri favor,
 12 praestant Tartario carcere liberum.
 13 Christi principis omnium
 14 dignatur bonitas igniculi istius
 15 motus tangere me pios :
 16 et jam labe minus gaudeo sordida.
 17 O caliginis insitae
 18 caecas qui tenebras Spiritus eximis !
 19 O duris quoque gentibus
 20 donature poli, si cupiant, jubar
 21 totum luminis hoc tui est,
 22 quod jungor numero te celebrantium,
 23 caetus adsecla caelici :
 24 quod credo et bene ago, si bene ago, tuum est.

AD PHILIP-ERNESTUM VOEGELINUM SPONSUM.
 PARODIA EX LIB. 4. CARM. 3. ODE.

P_19 v.1 Quem tu, dia Charis, semel
 2 flagrantem facili compare junxeris :
 3 illum non Eris improba
 4 vexabit calidum : non Stygius furor
 5 caecis uret amoribus
 6 insanum : neque res patria edacibus
 7 marcentem studiis Virum,
 8 quod nil subsidii fidi habeat domi,
 9 turbis junget inanibus :
 10 sed qua jura tori Pax bona continet,
 11 et cura socia domus
 12 fingent Aesonida staminis aemulum.
 13 Isthoc gratia Numinis
 14 dignatur parilis participem tori,
 15 mi Voegline, tibi addere
 16 et jam, triste minus cor ederis, vigil.
 17 O privi cruciaminis
 18 saevos quae stimulos, dia Charis, fugas ;
 19 o brutis quoque belluis
 20 praebens laetitiae, quam cupiunt, facem
 21 totum muneris hoc tui est,
 22 quod florent bene res terram habitantium,
 23 firma conjugii fide :
 24 quod stirps est hominum, sicut erit, tuum est.

AD IOH. BURCKARDUM WETZELIUM PHILOS. CANDIDAT.
 EX LIB. 4. CARM. 9. ODA.

P_20 v.1 Ne crede inepte futilia esse, quae
 2 claro Stagirae natus in oppido,
 3 non ante Phoebeas per artes
 4 apta dedit monumenta dextre.
 5 Non si priores Theologie tenet,
 6 Themisve, Cousve ; Euepies latent

7 Cleiusque et innuptae Thaliae,
 8 Uraniaequae graves labores :
 9 nec si quid olim grex Sophiae edidit
 10 haec spernit aetas : vivit adhuc Plato,
 11 ducuntque passim per Lycea
 12 Socratici radios alumni.
 13 Non sancta doctas Technosynes fugit
 14 opes, et acrem iudicii notam
 15 limamque linguarumque fructus,
 16 et decus Eusebie magistra.
 17 Non jureconsultus Logicas item
 18 fastidit artes : saepe Politice
 19 adscita, depugnavit acris
 20 perspicuis Sophiae logismis
 21 perplexa legum proelia : non sagax
 22 Galenus, aut hoc Hippocrates prior,
 23 neglexit illa arcana Tempe,
 24 Pieridum latice irrigata.
 25 Vixere docti, post ea lumina,
 26 multi, sed omnes, de Sophies face
 27 se feneratos esse famae
 28 principium, unanimes fatentur.
 29 Tantum supremis addit adoreis
 30 exulta Clio. Non ita te suis
 31 donis inornatum carere,
 32 totve tuos patietur exin,
 33 Wetzeli, agonas carpere lividas
 34 obliviones. Est animus tibi
 35 rerumque abundans, et venustae
 36 Rhetoricae, Logicaeque plenus,
 37 grassatus omnes per Physicae ambitus
 38 late patentem ; scis bene siderum
 39 certos meatus, scis tonitru
 40 quid moveat, Zephyri aut tumultum ;
 41 iudex honesti limitis, utile
 42 discernis, ardens prava recidere
 43 affectuum, et commune justis
 44 ordinibus statuisset magnum.
 45 Non venditantem multa, vocaveris
 46 recte eruditum ; rectius occupat
 47 laudem eruditi, qui Camena
 48 multiplici sapienter uti,
 49 linguasque callet edere principes,
 50 dulcesque Musis jungere Gratias :
 51 non ille caelos eleganti
 52 laureola timidus ferire.

AD LIB. 4. CARM. 10. ODEN. SPIRITUS SANCTI LAUDES.

P_21 v.1 Flamen, parantem ludicra pangere,
 2 verasque laudes ; admonuit sacrum :
 3 ne dia terrenis canendis
 4 plectra darem. Tua mens Jehova
 5 fructusque sanctis contulit uberes ;

6 et dona lapsa restituit gregi,
 7 amissa primorum parentum
 8 nequitia ; et vetitam redemptis
 9 arcem polorum pandit ; et entheum
 10 catum impetenti frena tyrannidi
 11 injecit ; emovitque pestes ;
 12 atque idiomata donat alma :
 13 per quae verendum nomen et incliti
 14 surgunt honores, summaque Numinis
 15 diffusa majestas, ab ortu
 16 solis ad Hesperium cubile.
 17 Adstante nobis Flamine, non furor
 18 mundanus, aut vis ulla fidem eximet :
 19 non fraus Satanae, qui fideli
 20 insidias struit usque turbae :
 21 non, qui Latinum Pontificem colunt,
 22 promissa tollent caelica : non Getae,
 23 non Turca, pestis Christianum
 24 non Parathum prope flumen orti.
 25 Nos et profestis lucibus, et sacris,
 26 templi sonoris in laquearibus,
 27 cum prole matronisque nostris
 28 rite Deum prius apprecati,
 29 virtute plenos caeliflua viros,
 30 linguis micantes eminus igneis,
 31 Petrumque facundum, et timentem
 32 progeniem Isacidum, canemus.

IN HERODEM INFANTICIDAM, PARODIA EX EPOD. 6. ODE.

P_22 v.1 Quid innocentes bimulos mactas, Leo,
 2 moliris et Christo necem ?
 3 Nae prorsum inanes, o tyranne, edis minas,
 4 stimulumque contra calcitras !
 5 Nam quale fulmen diritasque grandinis,
 6 infesta pestis messibus,
 7 ruit per agros turbine immani sata,
 8 et cuncta ruris gaudia :
 9 tu cum nova feritate perpetras scelus,
 10 morte insolenti concides.
 11 Time, time ! Namque in truces Rhamnusia
 12 parata vibrat spicula :
 13 ut in Pharaona Aegyptio mersum aequore,
 14 aut in profanum illum Syrum.
 15 An si quis ausis impiis petat Deum ?
 16 Inultus ille evaserit ?

AD EPO. 10. ODEN. PARODIA PROPEMPTICA.

P_23 v.1 Fausto Thaliae alumnus exit alite,
 2 petens Lyceum Phoebicum.
 3 Ut inviis custodias pium viis,
 4 Jehova te precor Deus.

5 Caelestis ales ipsius claudat latus,
 6 cladesque cunctas exigat.
 7 Exsurgat Phaethon qualis illis solibus
 8 cum ver remigrat aureum.
 9 Nec imber atra nube densus appluat,
 10 quem Tethyos neptes cient.
 11 Feliciore sed feratur hinc itu ;
 12 olim ac Tobiae filius :
 13 quem sanctus alto missus ales aethere,
 14 dixit, reduxit sospitem.
 15 O quantus erga te omnium elucet favor,
 16 quanta omnium expectatio :
 17 et illa non simulata gratulatio,
 18 grates et aeternum ad Deum :
 19 insignis olim cum corona Pythica
 20 reversus ad tuos eris.
 21 Devota quod si vox meas <pias> preces, (vers lacuneux)
 22 a te profecta, juverit
 23 Jehova clemens prosperabit exitum,
 24 reditum dabitque candidum.

II

METAPHRASES.

METAPHRASIS ODAE 1. LIBRI 1. CARMINUM HORATII. I.

M_1 v.1 Include Maecenas, atavum sate sanguine regum,
 2 praesidium Musis dulce decusque meis,
 3 sunt variis variae curae, et sua quemque voluptas,
 4 quemque suum studium ducit, et artis opus.
 5 Sunt, quos delectat rapido contendere cursu,
 6 et metam cautis praeteriisse rotis.
 7 Qui dein sollemni tendunt super aethera palma,
 8 tergemino divis semper honore pares.
 9 Hunc, si nobilium plebis circumfusa Quiritum
 10 laudet, et ad caelos voce favente vehat :
 11 illum, qui fundos gaudet coluisse paternos,
 12 messibus invectis horrea plena juvant.
 13 Talem, Myrtoi trabe findat ut aequoris undas,
 14 perduxit Attalica haud condicione queas.
 15 Tum licet Icariis mercator fluctibus errans,
 16 discupiat patrii rura videre soli :
 17 attamen, ut paulum venti posuere, reversus
 18 ad genium, quassas reparat ipse rates.
 19 Est alius, vitae prorsum pertaesus agrestis,
 20 qui capitur sapidi lurco liquore meri ;
 21 nec dubitat solidam somno diffindere lucem.

22 Propter aquam, aut viridi, membra supinus humo
 23 castra juvant alios, litui, sonitusque tubaeve
 24 atque invisae nimis matribus arma piis.
 25 Venator tandem, cervos sectatus, aprosque
 26 investigatos sedulitate canum ;
 27 immemor et sociae tenerae, et surgentis alumni ;
 28 vel noctes udo sub Jove durus agit.
 29 Haec alii : ast me hederæ, doctæ redimicula frontis,
 30 longæva prohibent posteritate mori.
 31 Hinc solum nemus, et silvestria numina, Nymphæ
 32 sufficiunt soli gaudia vera mihi.
 33 Si placida Euterpe si blanda Polymnia chordis
 34 non fugit Alcaeæ plectra movere lyrae.
 35 Dein si me Lyricæ tu gaudes addere turbae,
 36 vertice nae feriam sidera celsa meo.
 37 Nil ego terrarum dominos, palmasque superbas ;
 38 nil ego delicias divitiasque morer.

METAPHRASIS ODAE 3. LIBRI 1. CARM.

M_2 v.1 Ergo abit ille meos non ultimus inter amicos,
 2 aemulus Ascræi Maeonidaeque senis ?
 3 Ergo sedet, doctas invisere Pallados arces ;
 4 aequoreisque vehi per freta longa viis ?
 5 O, cujus fidei vates est creditus ille,
 6 navis, velivolo currere docta mari ;
 7 salvum Cecropiis exponas finibus, opto ;
 8 conserves animæ dimidiumque meae.
 9 Sic te, diva potens Cypri, Venus aequore nata,
 10 sic Helenæ fratres, ligna corusca, regant !
 11 Hippotadesque aliis ventorum carcere clausis,
 12 adspiret Zephyri flabra secunda tibi !
 13 At vero fragiles qui primus in aequora puppes
 14 duxit et infido marmore vela dedit ;
 15 nec timuit rapidum, certantem Aquilonibus, Austrum,
 16 nec tristes Hyades, non rabiemque Noti ;
 17 quo non est alius maris impetuosior undis ;
 18 arbitrio cujus statque movetque salum ;
 19 illi, credo, triplex circum præcordia ferrum :
 20 illi et de rigido robore pectus erat.
 21 Ecquid enim gelidæ timuit mortis genus ullum ?
 22 Qui siccis oculis monstra inamoena maris ;
 23 qui late infames, illa Acroceraunia, montes
 24 vidit, et irati saevitiem Iconii ?
 25 Atque Deus, prudens cum poneret omnia, vasto
 26 nequiquam terras abscidit Oceano :
 27 si tamen et lati penetrant vada caerulea Ponti,
 28 immensi finem transiliuntque rates.
 29 Usque adeo nil non audax tentare, lucelli
 30 causa. Gens hominum per scelus omne ruit.
 31 Sic satus Iapeto, quondam audax intulit ignem
 32 sub ductum aethera, fraude nocente, domo ;
 33 hinc macies, hinc dura fames hinc visa nec umquam
 34 invasit terras febrium acerba cohors.

35 Inde, prius nobis quae tarda venire solebat,
 36 jam properat celeri mors inopina gradu.
 37 Ingressus vacuum sic Daedalus aera pennis,
 38 ivit, quas homini non datur ire, vias.
 39 Sic ferus Alcides raperet quo Cerberon umbris,
 40 ausus perrupit ipsum Acheronta truci.
 41 Nil hominum usque adeo petulantia linquit inausum :
 42 caelum etiam terrae dira propago petit.
 43 Atque ita per nostras, admissa immania, culpas
 44 irata haud patimur ponere tela Jovem.

METAPHRASIS ODAE 2. LIB. 2. CARM.

M_3 v.1 Crispe, genus princeps ab equestri sanguine ducens,
 2 quem capit haud caecis abdita lamna locis :
 3 argento color est nullus, nullus color auro ;
 4 splendorem ex usu ni moderante trahat.
 5 Proin aget extento Proculeius nobilis aevo,
 6 fratribus indulsit, qui patris instar, opes.
 7 Illum felici terrarum Fama per orbem
 8 penna solvi umquam rite cavente, vehet.
 9 Nempe sitim infandam quicumque exstinguit habendi,
 10 heroum vincit fortia facta ducum :
 11 latius et poteris fines extendere regni,
 12 si valeas animi flabra inhibere tui :
 13 quam Libyam jungas ipsis si Gadibus olim,
 14 et subsit domino Poenus uterque jugo.
 15 Namque sibi indulgens ceu crescit diditus hydrops ;
 16 corpore ni languor fugerit albus aquae :
 17 sic sitis expleri haec nulla ratione potestur ;
 18 ni cedat fervens ille Cupido tibi.
 19 Hinc virtus censu felici cauta Phraaten
 20 eximit, infamem crimine avaritiae.
 21 Vocibus et falsis vulgum bene dedocet uti :
 22 qui solum Croesos autumat esse deos.
 23 Ast uni regnum defert diademaque tutum
 24 et laudis rarae, praemia rara, decus :
 25 quicumque ingentes auri cum spectet acervos ;
 26 haud aciem ad cumulos usque retorquet opus.

METAPHRASIS ODAE 10. LIB. 2. CARM.

M_4 v.1 Qualiter Oceano dans carbasa libera quondam,
 2 felici portum navita tangit ave ;
 3 si neque se pelago credat temerarius alto ;
 4 neu malefida nimis littora nave premat :
 5 sic tibi, mi Licini, ducetur leniter aevum ;
 6 sors cordi semper si mediocris erit.
 7 Aurea cui placet haec ; non squallet sordibus, idem
 8 sobrius invidia, summa petente, caret.
 9 Nam quo res usquam fuerit praelustrior ulla ;
 10 hoc graviora illam crede, pericla manent.

11 Cernis, ut ingentes ventorum turbine pinus,
 12 ut querceta gravi saepe Aquilone tremant !
 13 Cernis, ut aerae, monumenta immania, tures
 14 haud raro casu terrificante ruant !
 15 Cernis, ut in caelum minitantes vertice montes
 16 irato feriant fulmina missa polo !
 17 Sed bene munitus contra vim sortis utramque,
 18 atque suis animus dives ubique bonis ;
 19 infestis sperat meliora ; timetque secundis,
 20 altera ne versa sors eat acta rota.
 21 Tristia nam laetis (rerum haec adamantina lex est)
 22 laetaque mutari tristibus, ipse vides.
 23 Ipse vides, ut vere Jovis moderamine pulso,
 24 instent tristis hiems et penetrale gelu.
 25 Summovet ille idem glacialia tempora brumae ;
 26 atque comis silvas, gramine vestit humum.
 27 Et male si nunc est, male forsitan non erit olim :
 28 non rerum facies una, colorve manet.
 29 Dirigit haud semper letalia vulnera ferro,
 30 sed quondam et cithara blandus Apollo canit.
 31 Tu jam, mi Licini, sis sortem ad utramque paratus :
 32 non tumidus laetis, non timidusque malis.

METAPHRASIS ODAE 16 LIB. 2. CARM.

M_5 v.1 Ut primum picea tegitur caligine caelum :
 2 nec monstrant pelagi sidera certa viam :
 3 dulcia tranquillae superos rogat otia vitae,
 4 quisquis in Aegeis nauta laborat aquis.
 5 Otia vult Thrace, studiis asperrima belli ;
 6 haec eadem pharetra Medus honorus amat.
 7 Quilibet exoptat sibi tutam, Grosphæ, quietem :
 8 verum huc quae ducit non via cuique patet.
 9 Non etenim gemmis, non est venalis et auro,
 10 non, quae Sidonio murice lana nitet :
 11 non possunt gazae deducere corde tumultus ;
 12 aut Croesus tenuit quicquid avarus opum.
 13 Non lictor populum quantumvis summovet, idem
 14 marmorea curas exigere aede potest.
 15 Ille potest, tenui cui quadra dulce salinum
 16 splendet, qui vitae tempora laetus agit.
 17 Huic faciles somnos numquam timor anxius aufert :
 18 hunc dubium numquam, dire Cupido, quatis,
 19 sed modicis rebus satiatus regnat, et in se
 20 divitiarum exsors, satque superque tenet :
 21 ecquid in exiguo jaculamur fortiter aevo
 22 plurima, quis praesens vix facit hora fidem ?
 23 Quid terras alio mutamus sole calentes ?
 24 Quid semet recti pectus inane fugit ?
 25 Aeratas scandit curarum vis mala naves,
 26 et turmas equitum sollicitudo petit.
 27 Ocior est cervis, est alis ocior Euri,
 28 nec locus est, quem non anxia cura petat.
 29 Ergo animus saltem praesenti gaudeat altus,

30 securus quid sors crastina luxve ferat.
 31 Si quid (ceum sunt res) forte exhibeatur acerbi,
 32 temperet ingenuus risus amaritiam
 33 nam nihil ex omni reperitur parte beatum :
 34 nosque latet, quidnam vespera sera vehat.
 35 Sic quondam clarum cita mors letavit Achillem :
 36 abscidit et socii gaudia certa tori.
 37 Sic quoque Tithonum consumpsit longa senectus ;
 38 et cladem cantu macra cicada refert,
 39 et mihi fortassis felix id porriget hora,
 40 quod tibi praelustri Parca noverca negat :
 41 nam tibi, Grophe, greges, armentaque buccera sunt ;
 42 parturit ubertim qualia Trinacria :
 43 sint et equae, late implentes hinnitibus auras,
 44 lanaque te Tyrio tincta colore tegat :
 45 divitiae contra modicae mihi, parvaque rura :
 46 Alcaee tenuis spiritus estque lyrae.
 47 Praeterea infidum vis mascula temnere vulgus :
 48 his ego ditatus, nil tua, Grophe, moror,

METAPHRASIS ODAE 1. LIB. 3. CARM.

M_6 v.1 Quae sit pax animi, quae nostra medela malorum,
 2 ille ego Musarum dicere Mysta paro.
 3 Impia turba procul, procul impia turba facesse :
 4 carmina nulla tibi percipienda cano :
 5 percipienda cano sed castis auribus illa :
 6 quales Nympharum sunt puerumque gregi.
 7 Imperium in cives est summis regibus amplum :
 8 imperium in reges, sed tenet ipse Deus.
 9 Ipse supercilio trifida movet arida terrae :
 10 ipse Giganteas disjicit igne manus.
 11 Contingit, laetas disponat ut ordine vites
 12 latius hic alio, pluraque vina legat :
 13 contingit Martis descendat in aequora campi
 14 illustri proavum nobilitate potens :
 15 moribus ast alius melior descendat eodem ;
 16 virtutisque decus nomina clara, ferat.
 17 Attamen et summos pariter mors tollit et imos :
 18 fatalis nomen quodlibet urna movet.
 19 Non Siculae poterunt somnos inducere mensae :
 20 non avium cantus, non citharaeque soni :
 21 desuper immineat si seta adpensus equina
 22 ensis, et exitii si premat usque metus.
 23 Contra blanda quies numquam fastidit agrestum,
 24 qui gestant curis libera corda, casas :
 25 umbrosis desunt nec ripis munera somni :
 26 Tempe etiam Zephyris pervia somnus adit.
 27 Nam qui, quod satis est, nihil ultra discupit ; illi,
 28 laudari felix cur mereatur, habet.
 29 Ille procellosi numquam petit aequora Ponti ;
 30 Arcturi occiduas non timet ille minas.
 31 Numquam illum cruciant affictae grandine vites ;
 32 numquam laesa arbor, aut malefidus ager.

33 Sed cui nec tellus satis est ; hic molibus altum
 34 contegit, et solitum piscibus artat iter.
 35 Quippe frequens istuc mittit caementa redemptor
 36 cum famulis, domino tecta parante suo.
 37 Nec sic declinat miserae vexamina mentis ;
 38 cordis et affectus, qui fuit ante, manet.
 39 Scandit Herus navem, navem spes scandit eandem ;
 40 cedere de Domino cura timorque negant.
 41 Cornipede invehitur sublimis ; et huc quoque cura
 42 advolat : expertem nec sinit esse sui.
 43 Proin si nec Phrygium scit delinire dolentem
 44 marmor, nec stellis aemula lana potest :
 45 si mentem haud recreant generosi pocla Falerni ;
 46 si nec Achaemeniis costa profecta plagis :
 47 cur ego vesano vasta atria moliar ausu ?
 48 Cur mihi divitias per scelus omne parem ?
 49 Non his permutem positas in valle Sabina
 50 aedes : non curas tanti ego sanus emam.

METAPHRASIS ODAE ULTIMAE LIB. 3. CARM.

M_7 v.1 Ergo opus exegi Musis Phoeboque favente,
 2 claudens Aeoliis Itala verba modis,
 3 hoc opus et statuis fuerit vivacius aeneis,
 4 altius insigni Pyramidumque situ ;
 5 hoc non imber edax non saevus diruet Auster.
 6 Nec pessum annorum saecula cana dabunt.
 7 Hoc me vitalem faciet post funeris horam ;
 8 nec totus gelida contumulabor humo.
 9 Semper apud seros crescet mea fama nepotes,
 10 in Capitolina dum cadet aede bidens.
 11 Et quamvis humili prognatos sanguine dicar ;
 12 attamen in vatium carmine multus ero ;
 13 qua late rapidis violens strepit Aufidus undis ;
 14 qua Daunus sicis imperitavit agris ;
 15 nempe ego, qui princeps Alcaei plectra secutus,
 16 Aeoliis vinxi verba Latina metris :
 17 flexanimesque dedi vario discrimine cantus,
 18 ante ausus vatium quos dare nemo fuit.
 19 Tolle Thalia caput, meritis celeberrima tantis ;
 20 atque meas lauru cinge virente comas.

METAPHRASIS. ODAE 3. LIB. 4. CARM.

M_8 v.1 Quem tu cumque semel progressum matris ab alvo
 2 spectaris placido lumine Melpomene :
 3 illum haud clarabit pugilem labor Isthmius acrem
 4 insignis pugnis, caestibus atque, labor.
 5 Illum non cursis sonipes excitus Achaeo
 6 victorem plausus murmur et inter aget.
 7 Nec Capitolinam victor ducetur ad aedem,
 8 ornatus meritis Delide fronde comas.

9 Illum, quod regum fera debellaverit arma,
 10 fregerit et vires, contuderitque jugum,
 11 non Mavors Claria redimitum tempora fronde
 12 Romana egregium sistet in aede ducem.
 13 Plurima sed Tibur quae fertile praefluit unda
 14 et silvae facilis vatibus umbra sacris ;
 15 Aeolio fingent insignem carmine, fingent
 16 illustrem Heroo Maeoniisque modis.
 17 Hinc urbs imperitans de septem montibus orbi,
 18 me vatium gaudet connumerare choro.
 19 Atque adeo jam nunc mihi laudis adorea crescit :
 20 dente minus jam nunc mordeor invidiae.
 21 O quae temperiem dulcis testudinis aptam
 22 innumeris numeris, Pieri sancta, facis ;
 23 o tibi si libeat mutis quoque piscibus illum
 24 dona<bo> cygni Dauliadisque sonum : ('donatura' : pentamètre faux)
 25 muneris omne tui est, digito quod monstror, et hic est
 26 ille lyrae fidem, audio, id omne tuum est ;
 27 quod spiro, et validas habeo in sacra carmina vires,
 28 quod placeo, atque legar, si legar, omne tuum est.